



# **Ad leges de famosis libellis et de calumniatoribus, commentarius**

<https://hdl.handle.net/1874/424238>

AD LEGES  
DE FAMOSIS LIBELLIS  
ET DE CALVMNIATORIBVS,  
COMMENTARIUS

FR. BALDVINI.



PARISIIS,

Apud Andream Wechelum,

1562.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGII SENTENTIA.

C<sup>A</sup>V T V M est authoritate Regia, ne quis alias  
præter Andream Wechelum, iuratum in alma  
Parisiensi Academia Librarium, hunc ad leges de  
famosis libellis & calumniatoribus Commenta-  
rium Fr. Balduini, nunc primū editum, ante de-  
cennium ab editione proximū, in hoc Francorum  
regno imprimat, néue alibi impressum vendat: Ac  
si Regij diplomatis sentētia operis initio præfiga-  
tur, finīue postponatur, vt omnibus clarū, notum,  
indiectū, habeatur. Secūs qui faxit, & libris ipsis, &  
mille librarum Paris. multa pœnas pēdito. Datum  
Rhemis, Regio cōsensu sublignatū, D. Villamoro  
supplicum libellorum magistro præsente. 3. Id.  
Iun. 1557.

Coignet.



C. V. P A V L O F V X I O,  
R E G I O S E N A T O R I,  
F R. BALD. S. D.

**L**E G E s, ut scis, Paule Fuxi, eius  
qui abfuit Reip. causa perinde  
atque etiamnum absentis ratio-  
nem habent, interea dum (ut a-  
iunt) hospitium conductit, sarcin-  
ulas componit. Ego vero huc reuersus non mo-  
do excusatione tali, sed & multò iustiore utime  
posse putabam, ne in hac iactatione non tam vi-  
ta quam fabula motoriae, antequam respirasse,  
scriberem quicquam. Et ecce quorundam caluniatorum importunitas coegerit me quippiam di-  
ctare, non dicam, quod eorum merebatur intem-  
peries, et mala (ut Plautus ait) malicia: sed quod  
Iuris in hoc genere nostri memoria suggerebat.  
Neque tamen volui, quod ille olim Apelles: qui  
quadam Calumnia pictura (quam tabellam li-  
beratori obtulit suo) ultius suos aduersarios est.  
Sed cum hasce aliquot pagellas in publicum exi-

re paterer, non potui non te appellare, quem & mihi valde amicum, & (qua ingenuitas est tua, tua, inquam, ista perpolita doctrina & amplissima dignitate & illustri familia digna virtus) veritatis ac Iuris constantē defensorem, mēdaciique, vanitatis, & iniuria aduersarium acer-  
rimū esse expertus sum: neque non significare volui, quod Reip. causa desidero & opto. Opto  
verò & desidero plures tui ordinis, exemplo tuo,  
cordatos nobis Judices dari vindicésque Iuris,  
ut & sanctissimarum legum auctoritas defen-  
datur, & illa, que nunc grassatur, nefaria turba  
famosorum libellorum faceſſat, scriptorésque  
non minus quam litigatores conſtrīngat de ca-  
lumnia fusiurādum. Quod si ieiunus esse vi-  
deatur, quem tibi offero, Commentarius in uberi-  
& copioso argumento: testem te quoque lau-  
dare possum, inuitū me ad hanc cōmentationem,  
ad quam tamen iusto dolore incitari potuiffem,  
nudius tertius pertractum esse, & propterea im-  
morari in ea minimè voluisse. Vale, Parisiis,  
Kal. Nouemb.



3

AD LEGES  
DE FAMOSIS LIBELLIS  
ET DE CALVMNIATORIBVS,  
Commentarius F R. BALD.

**V**T leges bonæ ex malis moribus olim natæ esse dicuntur: sic nunc illis furentibus, has renasci necesse est. Nam etsi ea nunc tēpora sint, ut exclamare s̄æpe cogamur vetus illud, Quid profunt vanæ sine moribus leges? tamen in ista tanta licentia atque impunitate peccandi, Ius, licet frustra id dicatur abs priuatis, docēdum & defendendū est aduersus iniurias: neque si bonæ antiquitatis mores boni defierunt, propterea & eius leges delendæ sunt. Scio, has cum illis obsoleuisse, & oppressas propé obmutuisse. Sed memoriam cum voce intercidere, ferendum non est: & fugientes quoque illas reuocare atque retinere, ut vt possumus, debemus. Vetus Lex XII. Tab. aduersus frustratores fuisse dicitur, SI CALVITVR, PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDO IACITO. Quam Legem interpretans noster Caius lib. I. ad Leg. XII.

A iii

Tab. notat, inde nō modō dictam esse cauillationem, sed & calūniatores esse appellatos, quia per fraudem & frustrationem alios vexarent litibus.

L. C C X X X I I I . De verb. signifi. Vtinā verò ex iisdem tabulis repetitam nunc recitare possem legē, quæ non modō cōstringere atque coērcere voluit malae fidei debitores, qui caluuntur, hoc est, creditorē frustrari & eludere conātur: pedémue struūt, hoc est, fugam parant: sed & veluti manu iniecta sisteret, & ad supplicium iustum traheret perfidiosos calumniatores, qui aliis insidias struunt improba delatione. sicuti & earū tabularum grauiissima lex extat aduersus eum, qui malū carmen condidisset, quod infamiam alteri faceret.

Sanè cùm in hoc toto genere multiplex iniuria multis variè fieret: neque esset vllum iniuriæ genus, quod magis grassaretur: vt neque vllum hodie est, quod indignius exultet: magis atque magis leges Romanæ operam dederunt, vt & calunnia & malum carmen, famosūsque libellus seuerissimè castigaretur, punireturque eius auctor magis, quām fur aliquis, neque minus quām aut veneficus, aut latro insidiator, aut sicarius. Nam & viris bonis fama sua est ipsa propè vita charior: & quò facilior est infamiae aspergendæ facultas, & insidiæ calumniarū, sicuti veneficii, difficilius caueri possunt: tanto magis leges huic malo putarunt esse occurrentum quadam acerbitate pœnæ.

Puniuit

Puniuit lex x i i . Tab. carmen malum, quo fruges  
excabantur: sic enim vocabat carmen magicū.  
Sed nō minus puniuit aliud genus carminis, quod  
etiam malum vocat: nempe, quod (vt ait) alteri in-  
famiam vel flagitium faceret. Famosum carmen  
vocat Vlpianus: alij probrosum: plerique etiam  
libellum famosum. Ego nunc de eo primū dicā,  
deinde de calumnia . Est autē duplex, vt mihi qui-  
dem videtur, genus famosi libelli. Famosum libel-  
lum vocamus, qui ad alterius infamiam scriptus  
est, siue sine nomine, siue etiam cum nomine au-  
ctoris, si quidē extra iudicium prolatus sit. Deinde  
famosum libellum in iudicio appellamus, qui est  
sine auctore & inscriptione, hōc est, cuius auctor  
nomen suum non profitetur, neque subscripsit vt  
accusator. Ad priorem speciem propriè pertinet  
lex x i i . Tab. cuius mox & verba recitabo & sen-  
tentiam exponam. Et licet tantū agere videatur  
de poëtis scenicis & eorum carminibus probro-  
sis: tamen sic accepta est, vt etiam extra scenam  
quoscunq; eius generis libellos, qui in iudicio pro-  
solenni accusatione propositi non essent, puniret.  
Et verò vt poëtas bonos, id est, eruditos atque di-  
sertos, malos tamen viros esse dicimus, cùm male-  
dicunt: & eorum carmina, quantumuis ingenio-  
sa, dicimus mala: totāmque actionem scenicam,  
quātumuis pulchram, tamē sceleratā, flagitiosam  
atq; improbam, cùm aliquem lēdit, leges esse iudi-

dicant: sic & eius petulantiae prorsam orationem, & libellum alibi sparsum, quatumuis acutum, nequam esse constat. Legem, de qua loquor, Cicero in suis de Republica libris recitauit atque laudauit. Bene autem habet, quod cum hi Ciceronis libri non minùs quam xii. Tab. interciderint, noster Augustinus in suis de ciuitate Dei Comētariis hāc Ciceronianorum librorū particulā conseruuerit: etiam si in scriptura magnum médum sit, ubi pro PRÆCLARE, legitur PRECARETVR.

In illis Ciceronis libris Scipio, posteaquam grauiter damnauit illam apud Græcos veteris comœdiæ licentiam, quæ impunè in cuiusque nomen & famam inuehebatur, Nostræ (inquit) contrâ xii. Tabulæ, cum perpaucas res capite sanxisset, in his hanc quoque sanciendam putarunt, Si quis actitauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiūm ue alteri. Præclare. Iudiciis enim ac magistratum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poëtarum ingeniis, habere debemus: nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat, & iudicio defendere. Idem: Probris & iniuriis poëtarum subiectam vitam famamq; habere noluerunt, capite etiam puniri sancientes, tale carmen cōdere si quis auderet. Meminit & huius Legis libro xiiii. Tuscul. Quæst. Sed & noster Arnobius libro xxi. contra Gentes, Carmen (inquit) malum conscribere, quo fama alterius coinquetur

quinetur & vita, Decēuiralibus scitis euadere noluitis impunè. Et Donatus in Terétium ait legem latam fuisse, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret. Ipse quoque Horatius libro 11. Epistolarum ad Augustum,

— quinetiam Lex —

*Pænāque lata, malo quæ nollet carmine quenquam  
Describi. —*

Idem,

*Si mala condiderit in quem quis carmina, Ius est,  
Iudiciūmque. —*

Nolo nunc de Satyris disputare. Sed si in aliquem contumeliosè scribatur, cōtra bonos mores id fieri semper iudicatum est. Ac sāpe quidem suam billem aduersus inimicos Romani in chartas priuatim effundebant. Sed talia scripta suppressi solebant, quæ ipse quoque Cicero vocat *avenditæ*. Neq; ignotum est, quid de Cæsarīs Anticatone veteres iudicarint. Fuisse autem ipsius Horatiꝫ etate cōfirmatam Legem de famosis libellis, & sicut ipse significat, magnum eius terrorem fuisse, tanto magis credo, quod eodem tempore Augustus seuerissima huius generis iudicia exercebat. Nam Cornelius Tacitus libro 1. scribit eum cognitionem de famosis libellis primū tractasse specie Legis de Maiestate, cōmotum Cassij Seueri libidine, qui viros fœminásque illustres procacibus scriptis difamauerat. Suetonius tamen de Augusto, Etiam

sparsos (inquit) de se in Curia famosos libellos, nec expauit, & magna cura redarguit, ac ne requisitis quidem auctoribus. Id modò censuit, cognoscendum posthac de iis, qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspam, sub alieno nomine edant. Sanè, ut olim Principes faciliùs remiserunt iniuriam sibi, quam aliis, factam: sic & saepius legimus remissum esse crimen libelli famosi aduersus Principem, quam aduersus alium scripti. Saltem Antistius Prætor, cum Maiestatis accusatus esset, quod in Neronem probrofa carmina scripsisset atq; vulgasset, nihilominus fuit absolutus, ut ait Tacitus libro 1111. & tempore Tiberij Cremutius Cordus reus in iudicio allegabat multos impunè probrofa etiam carmina in Iulium & Augustū scripsisse, ut idem Tacitus narrat. Neq; verò quisquā ignorat, maius esse crimen, Principis quam priuati famam eo modo attentasse atque læsisse. Sed tanto benignior erat illa, de qua loquor, indulgentia. Cæterum iniuriam alteri factam nulla lex remittit: faciliusque Principes sibi factam possunt contemnere quam priuati. Ergo ut magis atque magis intederetur vetus Lex xii. suspicor, eorum, de quibus dixi, Imperatorum temporibus, quibus improbabatur factum esse illud Senatus consultū, quod in Pandectis laudatur, verba hæc sunt: Si quis librum ad infamiam alicuius pertinētem scripserit, compo-

composuerit, ediderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret: etiam si alterius nomine ediderit, vel sine nomine: vti de ea re agere liceret. & si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege esse iubetur. L.v. §. v i. De iniur. Evidem nō dubito maius esse crimen, vbi quis vel alienum mentitur nomen, vel sine nomine famosum libellum edidit. Nam & infestiores tunc insidiæ sunt, cùm nescimus cum quo nobis res est. Sed illud nunc dicimus: cùm famosus non iudicetur libellus accusatoris, qui se inscribit: famosum tamen extra iudicium semper videri, siue auctor suum nomen inscribat, siue non. Neque verò solum, si falsum crimen configatur, sed & si verum inscribatur, huic Legi locus erit. Nam si verum est, tanto magis ad Iudicis cognitionem fuit referendum. Est quidē impudentior malicia configentis aliquid falsi, quod obiciat. Sed neq; vlla est eius excusatio, qui verum crimen, quod in iudicio non accusat, extra iudicium diuulgat, & talem libellum non Magistratui porrigit, cuius est Iurisdictio, sed vulgo, cuius nulla cognitio est, & vbi nulla ei, qui insimulatur, vel respondendi, vel sese defendendi facultas datur. Porro ex hoc crimine damnatum fieri intestabilem, aliis quoque duobus locis Pandectarum proditū est. L. x viii. §. i. De testam. L. ob carmen. De testib. & quamuis grauissima hæc pœna sit (lōgè enim superat infamiæ pœnam) tamen iustissi-

mum est, ut qui dolo malo alium infamare voluit, ipse non solum infamis, sed & intestabilis fiat. In Lege xii. Tab. semel: sed in alio crimine, legimus istud, IMPROBVS, INTESTABILIS EST O. sicuti & hoc, SACERESTO.

Sed has Tabulas, famosi libelli crimen poena capitatis affecisse, Cicero testis est. Qualem etiam poenā huic delicto irrogat posteriorum Cæsarum leges: neq; scriptori modo, sed & ei, qui tales libellum, quem fortè inuenit, non abolet, sed diuulgat. Proponitur hac tota de re in Codice Iustin. vniqa constitutio, quæ Valentianus & Valenti inscribitur. Sed ex Cod. Theodosiano didici eam esse veluti conflata ex pluribus huiusc generis constitutitionibus. Nam & quod magis hoc scelus grassatū est, tanto pluribus saepiusq; repetitis legibus opus fuit. Postrema fuit illa, quæ Arcadio, Honorio & Theodosio ii. ascribitur.

*Vniuerfi, qui famosis libellis, inimicis suis, veluti venenatum quoddam telum iniecerint: ij etiam, qui famosam seriem scriptioris, impudenti agnita lectione nō illico discerpserint, vel lectorem cognitum prodiderint: ultorem suis cervicibus gladium reformident.*

Alterum famosi libelli genus est, vbi Iudici quidem, sed sine inscriptione, porrigitur libellus, qui alium alicuius criminis insimulat. Nam etsi nullā fidem mereatur, neque noceat ei, quem impetit: tamen non minus auctor punitur, quam si in vul-

gus

gus eum sparsisset, ac ne liberatur quidem, si probet nihil se cōfinxisse. Cur enim non accusat, quē nocentem esse iudicat? Cur nomen suum ingenuē non profitetur apud Iudicem? cur apertē non con greditur? Quid in veritatis causa extimescit? Recitabo nunc quinque, quæ huc pertinent, consti tutiones ex Codice Theodosiano: quarum tres sunt Constantini, duæ Constantij: neque existi mo hanc recitationem cuiquam, qui hoc flagitiī genus oderit, molestam fore. Ac si fortē Iustini niani tempore necessariæ non esse videbantur hæ Leges, proptereaque in eius codicem non sunt re latæ: hoc tempore plusquam necessariæ sunt, & propterea referēdē. Sed interesset meminisse, qua lia fuerint Constantini & Constantij tempora, in quibus certamina de religione, non dissimilia no stris, inflammabant illa partium studia, quæ deinde ad funestas calumnias & mala carmina (quod etiamnum accedit) erumpebant. Bonus Constan tinus in Niceno Concilio sibi oblatos antistitum rixantium accusatorios libellos, ne legere quidem voluit: sed in ignem complicatos coniecit. Certè famosos aliorum libellos non minus oderat, ac Donatistarum, Arrianorūmque importunitate fa ctum est, ut eos odisset magis.

IMP. CONSTANTINVS A.

AD VERINVM VIC. AFRIC.

*Si quando famosi libelli reperiantur, nullas exinde calūnias patientur ij, quorum de factis vel nominibus aliquid continebunt. Sed scriptio[n]is auctor potius requiratur, & repertus, cum omni vigore cogatur, his de rebus, quas propo[n]endas credidit, comprobare. Nec tamen supplicio, etiam si aliquid ostenderit, subtrahatur. P.P. IIII. Cal. April. Carthag. Constantino A. V. & Licinio C. COSS.*

IDEM A. AD IANVARIVM,

AGENTEM VICARIAM

P R A E F E C T U R A M.

*Vt accusatoribus patientia præbenda est, si quem persequi in iudicio velint, ita famosis libellis fides habenda non est: nec super his ad nostram scientiam referendum: cùm eosdem libellos flammis potius conducat aboleri, quorum auctor nullus existit. P.P. prid. Non. Dec. Romæ, Constantino A. VI. & Constantio C. COSS.*

IDEM A. AD DIONYSIVM.

*Famosa scriptio libellorum, quæ nomine accusatoris caret, minimè examinanda est, sed penitus abolenda. Nam qui accusationis promotione confidat, libera potius intentione, quam captiosa atque occulta cōscriptione, alterius debet vitam.*

*vitam in iudicium deuocare. P. P. Tyro. XII. Cal No-  
uemb. Ianuarino & Iusto COSS.*

## IMP. CONSTANTIVS A.

AD AFROS.

*Libellis, quos famosos vocant, si fieri posset, abolendis  
inclytus pater noster prouidit: & huiusmodi libellos ne in  
cognitionem quidem suam vel publicā ius sit admitti. Non  
igitur vita cuiusquam, non dignitas, concussa his machinis  
vacillabit. Nam omnes huiusmodi libellos concremari de-  
creuimus. Dat. XIIIIL Cal. Jul. Vrso & Polemio  
COSS.*

## IDEM A. AD POPVLVM.

*Nemo prorsus de famosis libellis, qui neque apud me, ne-  
que in iudiciis ullum obtinent locum, calumniam patiatur.  
Nam & innocens creditur, cui defuit accusator, cum non  
deesset inimicus. Dat. Prid. Cal. Non. Mediol. Arbi-  
tione & Lolliano COSS.*

Mirabitur fortassis aliquis tot leges eadem de-  
re ab iisdem Principibus editas esse. Sed qui & eo-  
rum temporum, & criminis, de quo agitur, condi-  
tionem intelliget, mirabitur potius & seueriores  
& frequentiores ea de re leges non fuisse. Adde-  
rem non ignobilem Cōcilii Elibertini Canonem,  
denuntiantem anathema iis, qui in Ecclesia spar-

gebant famosos libellos. Sed video nūc eam grāf-  
sari hominum, qui religionem inuertunt, audaciā,  
vt nulla supersit reuerentia Legum veterum, vel  
ciuilium, vel Ecclesiasticarum. Interea non pos-  
sum non illam insignem & repetere & inculcare  
legis sententiam, Eum valde videri innocentem,  
cui defuit accusator, cūm nō deesset inimicus. Me-  
mini Catonem olim gloriari solitum, se se sāpe ac-  
cusatum, semper absolutū fuisse. Sed liquidorem  
absolutionem esse existimo, vbi infestus inimicus  
accusare palam non audet. Ut breue faciam, con-  
stat accusationem legitimam non esse, quā suum  
auctorem non prodit: sicuti & illa est falsa atque  
calumniatrix, quā reum non conuincit. Sed prius  
quā de calumnia dicam, recitabo nobilē Legem,  
quā teatam & astutam quandam alterius infa-  
mandi speciem coērcet. Ut multi, cūm quid liqui-  
dō alteri obiiciant, nō habent, & tamen cautē ma-  
ledicere volunt, solent (quod ille Sinon ait apud  
Virgilium) spargere voces In vulgum ambiguas:  
sic etiam confusas spirant minas, quibus terreant,  
quos volunt: & obscurē iactitant nescio quid, vt  
finistra suspicione alium onerent: neque tamen,  
quid illud sit, enunciant. Nam & hoc artis est, ne  
in mendacio deprehendātur. Ne itaque semper li-  
ceretita ludere, & alios molesta & dubia expecta-  
tione suspendere, placuit illi, qui in tali iactatione  
exultat, præfinendum esse certum tempus, intra  
quod

quod palam expromat, si quid habet & post quod  
alioqui non audiatur. Neminem quidem leges co-  
gere solent ad accusandum vel agendum. Sed ubi  
quis vltro iactitat se habere, quod accuset vel agat,  
quid differt? an expectat occasionem aut diem,  
qua possit alium veluti incautum opprimere? An  
vt ignauus canis procul latrat, neque tamen audet  
lambere tribunal? Imo vero vt institutam semel  
accusationem vrgere & persequi iubetur, ne alias  
diu in reatu hæreat: sic & ne alium incerta & ta-  
men minaci obtrectatione diutius fatiget, recte iu-  
betur, aut aperte agere, aut planè tacere. Verba Le-  
gis audiamus.

## DIOCLETANVS ET MAXIM.

A A. E T C C. C R E S C E N T I.

*Diffamari statum ingenuorum seu errore seu maligni-  
tate quorundam periniquum est: præsertim cum affimes  
diu Præsidem unum atque alterum interpellatum a te, vo-  
citassem diuersam partem, ut contradictionem faceret, si de-  
fensionibus suis confideret. Vnde constat merito rectorem  
prouinciae commotum allegationibus tuis, sententiam dedi-  
se, ne de cætero inquietudinem sustineres. Si igitur adhuc  
diuersa pars perseverat in eadem obstinatione, aditus Præ-  
ses prouinciae ab iniuria temperari præcipiet. L. V. C. De  
inge. manu mit.*

Nihil iam dicam de iure iurando caluniæ, quod

C

in ciuilibus & pecuniarijs actionibus interponitur. Maius quoddam bona fidei vinculum est in criminalibus. Accusationis ergo prima conditio est, vt eius libello sese inscribat subscriptaque auctor. Hæc enim prima cautio est, ne aut lateat aut impunita sit calumnia. Non repetam altius Maiorum hac de re leges: nostris nunc legumlatoribus contentus ero. Satis vetus est illud Traiani ad Pliniū rescriptū, Sine auctore propositi libelli, nullo in crimine locum habere debent. Nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est. Obseruandum autem est, id responsum fuisse, cùm alioqui ageretur de religione, cui infestus erat Traianus. Verùm vt paulò post audiēmus Adrianum etiam in ea causa noluisse calumniæ vllam esse impunitatem: sic & Traianus in ea quoque seruari voluit Leges inscriptionis, ne qua relinqueretur latebra caluniæ. Quid nostri Iurisconsulti? Vnū ex multis laudabo.

Vlpianus libro 11. de officio Proconsulis, Si cui (inquit) crimen obijciatur, precedere debet in crimen subscriptio. Quæ res ad id inuenta est, ne facile quis profiliat ad accusationē, cùm sciat inultam sibi accusationē non futuram. l. v 11. De accusat. & inscrip. Iustissimas profecto fuisse Romanas leges publicorum Iudiciorum, magis atque magis intelligent, qui omnes earum conditiones expendent. Primū enim etsi publica sit accusatio: tamen non ita cuiuis patet, vt etiam homines infa mes

mes, qui ad omnem audaciā projecti sunt, ad eam admittantur. Deinde et si in persona accusatoris nulla labes sit, quę eum, quasi præscriptione quadā summoueat: tamen leges de reo solicitæ, quodammodo faciūt quod olim Lex illa Zaleuci, quę eius, qui nouam Legem ferret, collum laqueo implicabat, vt si eam non probaret, persuaderet, perferret, laqueo stricto mox strangularetur: & hoc periculo, talique cōditione quisque admoneretur, ne temere nouis rogationibus Rēpub. perturbaret. Sed ad Vlpianum redeo, & obseruo eum libro secundo de officio Procōfūlis laudasse Legem de inscriptione accusatoris. Nam neque ipse Procōfūl impunè feret, si id neglexerit. L. penult. c. De accusat. Idem Vlpianus eodem libro de officio Procon fūlis ait, Si quis actionem, quę ex maleficijs oritur, velit exequi, & extra ordinem eius rei pœnam exerceri velit, tunc subscribere eū in crimē oportere. L. vlt. De priu. del. Denique alio loco respondit, eū, qui criminaliter furti agit, in crimen subscribere debere, quia visum sit, temeritatem agentiū etiam extraordinaria animaduersione coērcendam esse. L. vlt. De furt. Si ciuiliter furti agatur, non est necēs saria inscriptio: sed si criminalis accusatio sit, vt es se potest, illa est necessaria. Itaque & ab acti animalis iudicium modō cum inscriptione, modo si ne inscriptione peragi, rescriptū est. L. i. c. de abig.

Sed audiamus singulorum Principum de inscriptione, reliqua rescripta atque constitutiones. Nā & collatio erit quædam interpretatio: & quod toties decretum atque sancitum est, magis videbitur diligenter esse obseruandum. Primus autem post Traianū, cuius paulò antè memini, occurret Alexander Vlpiani nostri Princeps. Is inquit: Qui crimen publicum instituere properant, non aliter ad hoc admittantur, nisi prius inscriptionum pagina processerit. L. IIII. c. qui accus. nō poss. Gordianus deinde, Si crimen (inquit) exequaris, solennibus te inscriptionibus astringe, ut Pr̄sidē prouinciae habere iudicem possis. L. X. c. qui accus. non poss. Ex multis Valentiniani, Valentīisque legibus, vnam nunc repetam ex Cod. Theodosiano, cuius hæc verba sunt: Nullus secundum Iuris præscriptum, crimen, quòd intendere proposuerit, exequatur, nisi subeat inscriptionis vinculum. In eodē deinde Codice proponitur hæc constitutio Gratiani, Valentiniani & Theodosij: Qui vel interneci exerit actionem, vel crimen suspectæ mortis intendit, non prius cuiusquam caput accusatione pulset, q̄ vinculo legis astrictus, pari cœperit pœnæ cōditio ne iurgare. Actionem interneci vocat accusatiōnem testamenti falsi vel subiecti, propter quod is, qui testator dicebatur, necatus est, quò magis falsum lateret, & tale testamentum vim suam exereret. Potest & internecinum vocari, quòd falsum  
non

non est, sed cuius causa necatus est testator: ut testatorum mors ab improbis heredibus captari solet. Tum vero accusatio internecini, pertineret ad Legem Corneliam non de falsis, sed de sicariis. Sanè Festus, Internecinum (inquit) testamentum est, propter quod dominus eius necatus est. Sed qualcunque sit Iudicium criminale, inscriptionem requiri constat. Atque hic quidem mihi, superiorem Theodosij Legem relegeti, occurrit bonus interpres eius temporis. Dico Symmachum P. V. qui ad ipsum Valentinianum & Theodosium scribens, Quid (inquit) habeat conditionis inscriptio, nostis praeceteris, Iuris publici conditores. Prout sum est enim, ne quis temerè in alieni capitis discrimine irrueret, ni se idem prius pœnae spōsione vinciret. Quid Theodosiani liberi Arcadius & Honorius? Legatur integra eorum constitutio in l. viiiii. C. Th. de Iurisdict. que in Cod. Theod. mutila & discepta est. l. pen. C. de accus. l. i. Cod. de abig. l. viiiii. C. vnde vi. Principalis clausula haec est: In causis criminalibus inscriptiones præponantur, ut alterutram partem digna legum terrere possit auctoritas. In Cod. Theod. pro T E R R E R E, est T E N E R E, & pro A V C T O R I T A S, est A V S T E R I T A S. Sed eadem est semper sententia. Postremo Honorius & Theodosius II, cum edicunt, accusationis ordinem iamdudum legibus institutum, seruadum esse, Quisquis (inquiunt) ille est, qui cri-

men int̄edit, in Iudicium veniat, vinculum inscriptionis accipiat, &c.

Recitaui multas eadem de re leges. Sed hoc fuit necesse, vt ostenderem Maiorum nostrorum curam in coērcenda accusatorum improba temeritate. Certè inscriptio eò potissimum pertinebat, vt & accusator notus esset, &, si calūniari videretur, iustas ex sua quoq; subscriptione poenas daret. Nā nomen ita suum profiteri iubebatur, vt si falleret, suæ condemnationi & talionis legi subscriberet, & calūniæ pœnas pēderet. Cic. pro Cælio, Aliud (inquit) est maledicere, aliud accusare. Accusatio crimē desiderat, rem vt definiat, hominē vt notet, argumēto probet, teste cōfirmet. Maledictio autē nihil habet propositi præter cōtumeliā. Ergo vt cōuiciū, vt libellū famosū, vt delationē sine inscriptione, sic & calumniā, hoc est, accusationē falsam puniunt leges. Sed falsi crimen hīc intelligo, si accusator dolo malo falsum crimen intenderit, quod probare non possit. Dico, dolo malo. Nam (inquit noster Marcianus) non vtiq; qui non probat, quod intendit, protinus calumniari videtur. Nam eius rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur, qui reo absoluto, de accusatoris incipit consilio quærere: & si quidem iustum eius errorem repere rit, absoluīt eum. Si verò in euidenti calūnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. L. I. §. I. Ad s c. Turpil. Sed & cùm Iudex ita esset interlo-

terlocutus. L. T I T I V S T E M E R E A C C U S A -  
R E V I D E T V R : respondit Papinianus temer-  
itatem, facilitatis veniam continere , & inconsultū  
calorem calumniæ vicio carere , & ob id illū nullā  
pœnam subire oportere. L. I. §. 11. Ad s c. Tupil.  
Ergo in re dubia temeritatē benignius interpreta-  
mūr eam dici, quæ et si culpa non careat, careat ta-  
men dolo malo : vt T E M E R E Latini dicere so-  
lent, pro imprudenter, inconsideratè, fortuitò . In-  
consultè & temerè est apud Ciceronem libro 1. De  
nat. Deor. qui & inconsideratissimam temerita-  
tem dixit in oratione de Arusp. resp. Atq; hic qui-  
dem Cicero pro Roscio tam eleganter, tam sapiē-  
ter, tam iustè, quam nūc distinctionem quærimus,  
exponit, vt nimium præposteri futuri simus, si aliū  
quæramus interpretem . Nam & eum non mino-  
ris in hoc genere facio, quām Papinianum aut VI-  
pianum aliquem : & eos, qui Bartolum, vel Baldū  
nescio quem audire mallent, tam despere iudico,  
vt fœno potius quām pane pascendos esse putem.  
Ait: Accusatores esse multos in ciuitate utile est:  
ita tamen, vt ne planè illudamur ab accusatoribus.  
Innocens est quispiam . Verūm quanquam abest  
à culpa, suspicione tamen non caret. Tametsi mi-  
serum est, tamen ei , qui hunc accuset, possim ali-  
quo modo ignoscere . Cūm enim aliquid habeat,  
quod possit criminose atque suspiciose dicere , a-  
pertè ludificari & calumniari sciens non videtur.

Et paulò pòst: Anseribus cibaria publicè locantur , & canes aluntur in Capitolio , vt significant si fures venerint . At fures internoscere non possunt . Significant tamen , si qui noctu in Capitolum venerint : & quia id est suspiciosum , tametsi bestiæ sint , tamen in eam partem potius peccant , quæ est cautior . Quòd si luce quoque canes latrent , cùm Deos salutatum aliqui venerint : opinor , iis crura suffringantur , quòd acres sint etiam tum , cùm suspicio nulla sit . Similima est accusatorum ratio . Alij vestrūm anseres sunt , qui tantū clamat , nocere nō possunt . alijs canes , qui & latrare & mordere possunt . Cibaria vobis præberi videmus . Vos autem maximè debetis in eos impetum facere , qui merentur . Hoc populo gratissimum est . Deinde etiam si voletis etiam tum , cùm verisimile erit aliquem commisisse , in suspicione latrato te . Id etiam concedi potest . Sin autem sic agetis , vt arguatis aliquem patrem occidisse : neque dicere possitis , aut quare , aut quomodo : ac tantummodo sine suspicione latrabitis : crura quidem vobis nemo suffringet : sed si ego hos bene noui , literam illam , cui vos vsque èò inimici estis , vt etiam eas omnes oderitis , ita vehementer ad caput affigent , vt posteà neminem alium , nisi fortunas vestras , accusare possitis . Hæc ille .

Multa sunt in hoc Ciceronis loco digna quæ obseruēt Iuris studiosi . Cùm ait cibaria dari accusatoribus

fatoribus, intelligit præmia, quæ ijs dabantur, vel de publico, vel de bonis eius, qui dānabatur. quorum præmiorum frequens est mentio & in Annalibus Taciti, & in legib[us] ipsis. Ac ne lōgiūs à proposito discedam, Vlpianus ait, Senatus cōsulto de famosis libellis, ei, qui indicasset, pro modo substātiæ personæ accusatæ, æstimatione Iudicis, preciū constitui. l. v. §. vlt. De iniur. Nam vt eum, qui tales libellos nō suppressisset, pœna: sic eum, qui auetorem indicasset, præmio dignum esse leges iudicarunt. Existimarunt enim hoc in primis crimen esse, quòd non manere impunitum, Reip. intersit. Cæterum tam odiosa fuit accusatorum, qui plerūque sunt sycophantæ, factio, vt & hunc eorū quæstum turpem esse leges pronuncient. l. qui accusare. De accusat. & Quintilianus responderit, proximum latrocinio esse, ad deferendos reos præmio duci. Et verò si priuatim quis pecuniam ceperit, vt alteri negocium faciat, Edicto Prætoris de calumniatoribus coërcetur.

Iam illud dico, si de publico interdū præmium meritò datum fuit accusatoribus veris: multò magis pœnam calumniatoribus fuisse irrogatam. Cicero meminit cuiusdam literæ ad caput eorum affixæ. Non recipio quod quidam putant intelligi literam c. inscriptam tabellæ Iudicum, quæ significaret calumniatorem. Credo potius literam hāc & notam fronti, vel, vt ait Cicero, capitī calum-

D

niatoris inscriptam atque inustā fuisse: vt & Mar-  
cum Antoninum falsis delatoribus notam appo-  
suisse scribit Capitolinus. Et Plinius in Paneg. ait  
delatorum frontem exanguem & ferream, fuisse  
punctis & notis vulneratam: quemadmodum &  
alter Plinius libro. x viii. vocat inscriptos vultus  
seruorum, qui erant stigmatici. Plautus literatos  
appellat, & Valerius Max. ait inustos inexpibili  
literarum nota per summam oris contumeliam.  
Denique Papinianus hominē integræ frontis op-  
ponit notato atque infami. Et verò si olim mili-  
tis malè de benemeritis merētis fronti Philippus  
inuri cauterio iussit H O S P E S I N G R A T V S: me-  
ritò magis calūniatores sua nota insigniendi sunt.  
Nam & cuiusque interest, eos esse notos, vt ab ijs  
caueamus: & tales belluas, quę ignotæ nos sēpe in-  
cautos fallunt, fugiamus.

Optabat olim Cicero, vt quod quisq; de Rep.  
sentit, in fronte scriptum gereret. Multò magis  
optandum nunc est, improborum atque ingrato-  
rum hominum naturam & conditionem publicè  
descriptam agnosci, non modò ad sempiternam  
eorum infamiam, sed & ad necessariam bonorum  
cautionem: vt cùm alibi idem Cicero dicat, fron-  
tem hominum sēpe mentiri, & frōte atque vultu  
simulationem facilimè sustineri, occultarīque sen-  
tentiam: talis inscriptio nobis omnem fraudem  
detegeret, & impostoribus laruā detraheret. Ob-  
sident

sident nos, & in sinu s̄epe nostro viperæ sedent, te-  
cti calumniatores, improbi, perfidiosi, ingrati ho-  
mines. Quid nobis, qui eos internoscere non pos-  
sumus, miserius esse potest? Cur autem eorū fron-  
tem candens cauterium non adureret, quorū tan-  
ta hypocrisis esse non posset, quin videamus (vt  
Apostoli verbo vtar) κακωτεραιούντις τὸν θεόν σωμάτιον.  
Sed ad rem. Qualiscunque fuerit Ciceronis ætate,  
pcena calumniæ, certè fuit terrori calumniatori-  
bus. Vnde in orat. pro Domo, de quodam loquēs,  
Non est(inquit) ausus accusare propter metum ca-  
lumniæ. Quid Leges nostræ?

Lex ait, Fustibus cæsum, cui per præconem di-  
ctum est, ἐσυκοφάντησε, calumniatorem videri no-  
tatum, ideoque esse famosum, manifestum esse.  
L. x v i i. c. De his qui not. infam. Ictus fustium  
leuis est coercitio. Sed grauis est, cùm accedit præ-  
conium calumniæ, quòd infamiam irrogat. Ictum  
fustium infamia non importare, sed causam, pro-  
pter quam id pati meruit, si ea fuit, quæ infamiam  
damnato irrogat, ait Marcellus. L. x x i i. De his  
qui not. infam. Sanè & cùm perjurum fustibus ca-  
stigādum diceret Vlpianus, adiecit ita ei superin-  
dici, πειστῶς μὴ ὅμην. L. x i i i. §. vlt. De iur. Erat hoc  
in veteri more positum, vt cùm quis suppicio affi-  
ceretur, causa publicaretur, & vt populus, sic &  
damnatus admoneretur. Narrat Lampridius, Ale-  
xandrum Seuerum, cùm iussisset quēdam, qui au-

lico more multa mentiendo multos fefellerat, fumo necari, præconē dixisse, FVM O PVNITVR,  
QVI FVMVM VENDIDIT. Sæpe etiā in suppliciis illud edixisse, quod abs Christianis acceperat, QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Et Spartianus in Seuero scribit, fustibus quendam cæsum sub elogio præconiis, LEGATVM POPVL RO. HOMO PLEBEIVS TEMERE AMPLECTI NOLI.

Sanè etsi neque cauterio quis notetur, neque fustibus cedatur, tamen cum pronunciatur calumniator, vltio in illam pœnam incurrit: neque minus famosum est nomen sycophantæ aut delatoris, quam caluniatoris. Cum Iudex de aliquo pronunciasset, CALVMNIATVS EST: quanvis nihil de pœna subiecerit, tamen Legis potestatē aduersus eū exerceri ait Marcianus. L.I. §. I. Ad sc. Turpil. Intelligit autem Legem Remmiam, vel ut alij vocant, Memmiam: qua Lege calumniatoriis pœnam irrogari, idē ait. Quænam fuerit hæc pœna (ut is etiam vocat) legitima, nondum compiri: neque planè audeo affirmare fuisse illam frōtis notam, de qua dixi. Fuisse quidē aliquam pœnam supra infamiam existimo. Infamia enim notari eum, qui in iudicio publico, calumniæ causa quid fecisse iudicatus esset, satis docuerat Edictum Prætoris. L.I. De his qui not. infam. Sed hæc parū grauis, nimisque leuis pœna calumniæ est. Non enim

enim hanc valdè reformidat homo improbus & impudens, qui calumniari vult. Quid enim saluis infamia numis? inquit Iuuinalis. Nam etsi hæc fidem hominis eleuet, tamen testimonij dictionem non adimit. Neque Legem Remmiam prohibuisse in iudiciis publicis damnatos calumniæ iudicio publico testimonium prohibere, notat Papinianus L. X I I I. De testib. His tamen nō patere publicam accusationē, constat. Mirabitur aliquis quod dico. Sed causam intelligat. Facilius licet testimonium dicere, quām accusare. Nam non statim testis, cùm auditur, reo nocet. Non enim statim fidē ei habet iudex. Sed accusator statim atque admittitur, saltē hoc efficit, vt alius fiat reus. Qui autem semel fefellit in accusatione, indignus est qui ad eam rursus admittatur. Quod attinet ad damnatos publico iudicio: sic fiunt infames, vt non modò accusatione, sed & testimonio in publico deinde iudicio, iis interdicatur. Multum ergo interest (quod imperitè vulgus confundit) inter eos, qui simpliciter dicuntur damnati publico iudicio, népe, qui rei conuicti fuerunt: & inter eos, qui dicuntur in iudicio publico damnati calumniæ, quos nempe, cùm accusatores essent, calumniatos esse apparuit. Mirum verò, cùm tantūm infames fierēt calumniatores, tamen auctores malorum carminum, vel famosorum libellorum ex Lege factos esse intestabiles: quod certè multò grauius est. Nā

intestabilibus non modò accusatione & testimonio, sed etiam testamento interdicitur. L.XVIII.  
Qui test. fac. poss. An turpius est, sine inscriptione accusasse, quam calumniatum esse? Sed calumniatores ad duriorem pœnam trahit ipsa inscriptio, quæ talionem ijs rependit. Nam eos ad vindictam poscit similitudo supplicij. L.vlt. c. De calum. Placétq; vetus ille versiculus, Et delator habet, quod dabat exilium? L. XI. Tab. Si quis membrum rupisset, talionem esse iubebat. Cur non multò magis talio esset, vbi quis per calumniam, alterius petiit caput aut iugulum? Quis putaret hanc etiamnum seueritatem temporibus Theodosij visitatam fuisse? Fuisse tamen didici ex quadam Symmachi ad Theodosium epistola. Scribens de quodam Africano, qui cum devi aliquos accusasset, sese in crimine inscribens, neque tamen reos conuinceret, Supererat (inquit) ut criminè non probato, in accusatorem formidata reis pœna transiret. Symmachum qui Iudex erat, ad mitiorem pœnam reuocabat, accusantis militia pariter & incauta adolescentia. Neque tamen audet quicquam de seueritate legis remittere. Itaque causam refert ad suos Imperatores, & quid ipsi statuere velint, rogat. Nā (inquit) alia est conditio magistratum, quorum corruptæ esse videntur sententiæ, si sint legibus mitiores. Alia diuorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri Iuris inflectere.

Equidem

E quidem cùm tempora considero, miror Symmachum h̄ic h̄erere. Papinianum, cuius ætate pœnae legitimæ etiamnum erant, dicere quippiam tale, non miror. Sed illud alias viderimus. Sanè posteriores Iurisconsulti cùm pœnae iam factæ essent extraordinariæ atque arbitrariæ, alias quām legitimas irrogari etiam calumniatoribus posse responderunt: neque tamē eos minus propterea castigārūt. Paulus ait calumniatores extra ordinem pro qualitate admissi plecti. l. 111. Ad s c. Turpil. In libris verò Sententiarum scribit, eos exilio vel relegatione puniri. Quid dicā temporibus Papinianni calumniatorem quendam in crucem actū esse, quia Septimio Seuero, nondū Imperatori, sed Proconsuli, Maiestatis crimen falsum obiecerat? Quid dicam de Antonio Pio, qui in vniuersum delatores omnes capitali pœna plecti voluit? Quid de Pertinace, quem Herodianus scribit sycophantas valde persecutum esse, atque prouidendo cauisse (vt ait) μηδένα ἐπιθεσίᾳ μήτε μολταῖς ἐγκλημάσι ποριπότερον. O salutarem prouidentiam! Saltem Traiani memores essent nostri Principes, quem Plinius laudans, Vidimus (inquit) delatorum Iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum. Sed nimis verū est, quod eodem tempore scripsit Tacitus, hoc genus hominum, publico exitio repertum, pœnis nunquā satis coercitum fuisse. Cæterū, vt magis atque magis intelligamus, perpetuam & naturalem ra-

tionem huius Iuris, quod haec tenus laudauit, obser-  
uandum est, ne vlla quidem superstitione (cuius a-  
lioqui maxima vis est) planè fuisse euersam. Tra-  
ianus abhorrebat abs religione Christiana. Tamē  
si quis eo nomine reus fieret, requisiuit ab accu-  
satore subscriptionem, neque libellum sine aucto-  
re admisit, vt antea dixi. Adrianus, qui Traiano  
successit, addictus erat suis quoque sacris. Sed ne  
Christianos quidem eoru hostes per calumniam  
vexari passus est. Imò verò in eorum, vt in aliorum  
causa, calumniatores dare poenas voluit. Extat eius  
rescriptum ad Minucium Fundanum: εἰ πιστοφα-  
νίας χρειμ δέονται, οὐχ λάμβανε ὑπὸ τὸ διενότητος @ φρόν-  
πλε ὄπως ἀνθεκόστιας. Scio equidem & fateor, vt tyrā-  
nos, sic & calumniatores, sàpe còtra Ius regnasse.  
Sed tunc publica Iudicia non erant, quod diceban-  
tur: erant potius latrocinia. Principia Iuris gentiū  
hèc sunt: Nemine indicta causa esse damnandum:  
De nemine indemnato sumendū esse supplicium.  
quòd & xii. Tabulis fuit insculptum. Reo op-  
ponendum esse inscriptum accusatorem. Audien-  
dam esse utrunque partē. Accusatorem quod ob-  
iicit, probare debere. Calumniatorem puniendū  
esse. Hæc (inquam) omnes gentes Iura iusta esse di-  
xerunt. Ipsique etiam tyranni, qui ea cuerere vo-  
luerunt, tamen interdum quodam quasi pudore,  
& veluti dicis causa, simularunt se non omnino  
**ea** repudiare. Certè Am. Marcellinus lib. xiiii.  
cùm

cùm notare vult nouam & inauditam tyrannidem Galli Cæsar is furentis, Nec vox (inquit) accusatoris villa in his malorum quærebatur aceruis: vt saltem specie tenus crimina præscriptis Legum cōmitterentur: quod aliquoties fecere Principes sæui. Idem eodem libro de quodā Eusebio reo, Clamabat (inquit) latrociniū esse, nō Iudicium, quod contra Ius fiebat: & vt erat gnarus legum, pertinaciter accusatorem flagitabat & solennia.

Sanè illius Galli frater Julianus, quem nostri Apostamat vocarunt, tyrannus quoque fuit. Sed audiamus tamen, quam ab eo vocem expresserit vis veri & conscientiæ. Numerium (inquit idem Ammianus lib. x v i i i.) Narbonēsem paulò antè rectorem, accusatum vt furem, inusitato Censorio rigore pro tribunali palam admissis volētibus audiebat: qui cùm inficiatione defenderet obiecta, nec posset in quoquam cōfutari, Delphidius orator accerrimus vehementer eum impugnans, documentorum inopia percitus exclamauit, Ecquis florentissime Cæsar nocens esse poterit usquam, si negare sufficerit? Circa quem Julianus prudēter motus ex tempore, Ecquis, ait, innocens esse poterit, si accusasse sufficiet.

Non temerè est, quod Marcellinus tale respōsum vehementer laudat. Verū et si reus absoluatur, non probante accusatore: tamen ecquis accusationum finis erit, si impunè sit, non probasse?

Quid? Lege Cornelia de sicariis tenetur, qui cum telo ambulauit hominis occidendi causa, licet non occiderit. Et nullas dabit poenias, qui in medio foro togatum latrocinium clam exercere, & ad opprimendam innocentiam ordinario etiam innocentiae praesidio, hoc est, Magistratum ministerio abuti voluit? Imo vero magni & singularis huius sceleris atque facinoris, noua & singularis poena esse debet: ut & fuit olim non apud Romanos modo, sed & apud alias gentes. Non inculcabo exemplum Ptolomaei Regis, qui Apellem caluniosè accusatum non modo absoluit, & absolutum magnis muneribus ditauit: sed & ei in seruitutem addixit calumniatorem. Factum hoc certe memorabile, sed singulare fuit. Vtinam vero Luciani, qui id recitat, libellus περὶ Αλεξανδρίας, tam Principibus serio inculcaretur, quam pueris in schola frustra prelegitur. Sed Leges audiamus.

Dixi calumniatores Romano Iure notari, & hanc eorum infamiam fronti quoque inuri, ut tantò magis internoscantur. Nunc recitabo non dissimilem Charondæ Legem. Illum dico Charondā Pythagoræ discipulum, Thuriorū in Italia Legislatorem sapientissimū, ante xii. Tabularum tépora. Quid ille? Ait Diodorus libro xii. τοὺς ἦδι σκεφαντίας παγυωθέντας πεσέταξε πούπουτεῦ εἰς φαναρίνες μείνη, ὅπως ἐν πᾶσι τοῖς πολίταις φανωνται τὸ πρότερον τὴν κείας πούπη ποιηθίσαι. Μήτορες πάντες ἔμιληραπι οὐ-

τα δημο-

παδινοφεντας, ο μέγεθος τοῦ βρεγος αὐτη ἀνεμότας, ἐκουσίως ἔστη-  
τοὺς εἰς τὴν ζῆρι μετασῆσαι. οὐ λαπελεθέντος ἐφυγαδύθη πᾶς εἰς τὸ  
δάλεως ὁ συνεφαντεῖρης θώρακας, καὶ τὸ πολιτεύμα μάνιξειορ ἔχει πολὺ,  
τὸ πικάνθης κακίας ἀπλλαχμένον. Ergo iubebat calumnia-  
torem, extremæ & capitalis infamiæ causa, myri-  
ca coronari, & ita coronatum ludibrij & ignomi-  
niæ nomine per urbem circunduci, quo magis no-  
ta omnibus esset talis bellua, perinde atq; si scœnū  
haberet in cornu, ut vetus ait parœmia. Hæc apud  
Thurios tam intolerabilis pœna esse iudicabatur,  
ut multi mori mallent: sibique etiam potius mor-  
tem consicerent. Plinius ait myricam olim vo-  
catam esse arborem infelicem. Sed vellem potius  
calumniatores illa, quæ in antiquiori Romani  
Regis Lege dicta est arbor infelix, hoc est, cruce,  
pœnam luissent ut scelerati furciferi. Felix verò  
Lex illa Charondæ, quæ hac ratione suam Rempu-  
blicam tali peste talibúsque portentis statim libe-  
rauit. Sed infelices nostræ Leges, quæ cùm & tam  
multæ sint, & toties repetitæ, & tam seueræ: tamen  
non possunt hæc monstra exterminare. Scilicet  
quod olim Cicero conquerebatur, meritò queri  
possum, Nos nullam custodiam Legum habere.  
Personant illæ quidem in Scholis, & quātum pos-  
sumus, earum memoriā excitamus. Sed quia Ma-  
gistratus iis non adsunt, nihil agimus. Quid igitur?  
An propterea stationem nostram deferemus?  
Imò verò, ut olim Astræa relictis Vrbibus, dicitur

in Agris confedisse, vbi (vt illeait)

*Iustitia excedens terris vestigia fixit:*

sic & eam hoc tempore, Tribunalium subselliis pulsam, & in umbra quorundam auditoriorum iacentem, vt possumus, colamus. Ergo vt ad rem redeam, adjicio, non modò accusatoris, sed & Indicis, & Irenarchæ, & Nuntiatoris, et si hi non subscriberent, calumniam, falsamque delationem grauissimè punitam fuisse. Curiosi (inquit Constantinus) & Stationarij, vel quicunque funguntur hoc munere, crimina Iudicibus nuncianda meminerint, & sibi necessitatem probacionis incumbere, nec citra periculum sui, si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit. L. I. c. de Curiosi. Itaque & noster Paulus ait, Nuntiatores notorijs suis assistere debere. L. V I. §. I. Ad s c. Turpil. Notum iam est, notoria appellari indicia atq; elo-  
gia, breuibus veluti notis conscripta vel consignata de alicuius maleficio, quæ ad Magistratum, ad cuius cognitionem ea res pertinebat, mittebāt ij, quibus publicè mandatum erat, vt crimina inquiererent atque nunciarent. Qui quidem Inquisitores, vocabantur, vt dixi, Irenarchæ, Curiosi, Nuntiatores. Sed quò maior erat eorū auctoritas, tanto magis ne fallerent & calumniarentur cauendū fuit. Itaque rescriptum fuit, Irenarchen, cùm ἀνα-  
neōτη facilitate, venire debere, & quod scripserit, exequi: ac si malignè quid fecerit, aut non dicta retulerit

lerit pro dictis, vindicandum esse in exemplum, ne quid & aliud postea tale facere moliatur. l. v i. De custod. & exhib. reor. Dies me defecerit, si pluribus persequi velim, quod aduersus calumniam recte cautum est. Neque verò institui, quod de ea passim alibi scriptum est, colligere. Nullum nostra oratio finē inueniret. Sunt enim iustissimis & grauissimis de hoc flagitio sententiis referti omnes omnium libri: vt & Iustinianus noster testatur, se Le gū libros edidisse, vt calumniātum iniuitates expelleret, sicuti & in Nou. x i i. profitetur se nihil non agere, vt id efficiat, *καὶ μὴ πῶ (inquit) ἐπειδὴ οὐ τὸ συνοφερτόν*. Sed & de calumniosis interpretationibus, quām longa esse posset oratio? Et q̄ latè patet, vel hæc nostri Pauli sentētia vna, Non oportet Ius ciuale calumniari, sed qua mente quid dicatur, animaduertere conuenit. l. penult. Ad exhib. Sed tale declamationis scholasticæ argumētum nunc pueris relinquam. Evidem memini, cùm olim puero mihi prælegeretur Luciani libellus *Ἄγριολης*, me propé attonitū exhorruisse, tam alienos abs virtute & veritate atq; adeò sanitate olim fuisse hominum mores, vt talem pestem tam cupide alerēt. Sed posteā vir factus vidi, quid esset causa, & expertus sum, quæ Lucianus de suorum temporum improbitate scripsit, multò magis de hac ætate dici posse, & laruatam illam furiam non solum (quod ille ait) in aulis Principū, sed & in scho-

lis literatorum, atque adeò in Ecclesiis eorum, qui  
veritatis titulum venditant, regnare. Sæpe mihi in  
mentē venit Athanasij, cùm mecum reputo, quot  
olim viros magnos & innocentes illa etiam reli-  
gionis nomen mentita, impudenter vexarit. Sed  
quid nunc fit? Absit, vt in quo cœtu quis quærerit  
domicilium religionis, in eo cœtu inueniat sedem  
& solium τὸν Αὐτοκράτορα. Sed Deus bone, in quo inci-  
dimus αὐτούς, cùm iam annis propè x x, relictā  
patria, quærimus viros bonos, ingenuos, rectos, re-  
ligiosos? Quantum in multorum ingratis animis  
est malicie & insidiarum? quantum in fronte frau-  
dis? quantum in ore virulentæ linguae? quantum in  
literis maledictionis calumniosæ? Quid dicam, ta-  
libus armis & dolis instructos, facile cuiuis, quem  
hac ratione veluti in triumphum circunducunt,  
insultare, talique presidio multos, qui sine vlla re-  
ligione disputant de religione, ad victoriam con-  
tendere, armatos stylis non cruentis minus quam  
acutis, neque tam atramēto, quam atrabile & felle  
imbutis, atque adeò sanguine stillantibus. Dixit  
olim Cicero, Dentata charta res agetur. Sed vbi  
charta est & aculeata, & venenata, & cristata, &  
ficcaria, & sanguinaria, an Christianam esse dici-  
mus? Quid miseras Leges nostras ciuiles, quas ho-  
mines scilicet religiosi nouo quodam suo iure fre-  
ti confidenter irrident, & tanquam telas aranearum  
suauiter perfringūt, opponerem? Fortasse reuere-  
buntur

būtur magis, quod B. Hieronymus in apol. aduer. Rufinum scribit, Catholicos olim diligenter cauisse, ne hæreticis, quorum dogmata oppugnabāt, turpitudinē aliquam obiicerent. Illa enim ad chartas Ecclesiasticas, hanc ad libellos Iudicum pertinere: neque eum, qui suscipit refutationem hæresēon, adiungere debere accusationem criminum. Sed qui nūc nullis legibus teneri se putāt, & quod libert, licere sibi existimāt, hāncque Donatistarum regulā vnam tenent, QVOD VOLVMVS SANCTVM EST: frustra ad bonos & antiquos mores Maiorum reuocātur: & verò quidam mihi nuper responderunt, malle se ipsius Hieronymi & similiū, qui minimē obseruarunt in causa sua, quod in aliena laudarunt, exemplū sequi: & licet non sit fortasse Iurisconsultorum, esse tamen Theologorum non minus quam Rhetorū, astutē miscere atque confundere actiones reales cum personalibus, & personales cum realibus, & vtrisque commixtis, quo iure, qua iniuria vincere? Si nunc ita agitur in causis religionis, cùm nihil abs religione magis alienum sit: cedo. neque tamen Iuris præsidium, ad quod configiam, video in ista tanta iniuriarum licentia atque impunitate. Quid autē frustra quererer passim & palam calumniæ tantum licere? Quid exclamarem vetus illud, Vbi nunc Lex Remmia? dormis? Nā et si Legē excita uero, nihil eg ero. Nulli Magistratus, Leges nullæ, nulla Iudicia

coercere possunt hāc humani generis pestem : dico hanc, quæ importunè grassatur, effrenatam audaciam mentiendi & maledicendi, quæ nihil non audet : & eam quoque artē docet, vt quibus se criminibus teneri sentit, ijs criminibus alium implacet: tametsi s̄p̄ius, quod facit, clām faciat, ex ignoto veluti recessū , cæca , sed , vt Lex ait, venenata, in absentes atque ignorantes tela dirigens , spargensque modo famosos sine auctore libellos, modò sinistros, quos ipsa confinxit , rumores . Sed & subtiliter abutitur misera horum temporum tempestate. *Applicatio* Quia enim nunc magna de religione certamina sunt, tempora ad calumniandum idonea esse videntur: vt & Plato scitè monet, tunc esse crimina ἐνθύλωσις. Quid faceres? Apud Aristophanem in Pluto , cuidam iactanti nescio quem annulum magicum , in quo inesset remediū aduersus omne malorum genus, respōsum est, οὐκ ἔνεστι συκοφαντῶν σίγχρωτος. At nūc lögè minus esse dixero remedij, & multò tamen esse huius veneni spargendi maiorē facultatem, cùm & ars typographica (o nobilem artem, quæ tali seruitute sese infamem reddit) seruiat sycophanticis spiculis longè latēque emittendis: & magis insidiosa nunc quoque inuenta sit ratio fraudis clām disseminandæ per coniurata foda litia. Mirum verò, cùm omnes sentiant commune esse periculū in hoc tam flagitioso more, tanquam in publico latrocinio : & calumniam tam valdè o-

mnes

mnes odiſſe videantur, vt cūm Græcum eius no-  
men audiunt, cohorrefcant: tamen tam patulas  
esse multorum aures ad eam excipiendam, tam-  
que credulos animos ad alendam. An malis car-  
minibus tanquam magicis fufurris & incantatio-  
nibus capiuntur? An vt alij ore, sic (quod olim qui-  
dam dixit) iſti auribus calumniari volunt? Non  
obiiciam veterem Menandri versiculum, Eos, qui  
calumniatores facile audiunt, aut improbos esse,  
aut pueros. Sed minimè profecto sapiunt, qui tale  
exemplum, quod in eorum caput recidet, confir-  
mant. Ipſe Horatius loquens de Lege aduersus ma-  
lum carmen lata, quam omnes magno consensu  
expetuerint, Fuit (inquit) intaētis quoq; cura, cō-  
ditione super communi. Et nunc nihil nobis curē  
est, si aliis ea fraude iuguletur, qua iugulari nemo  
non facile poterit? An eam potius incitabimus?  
Ac ne eos quidem, qui vexantur, queri patiemur?  
Certè perniciosa patientia est, quæ quadam im-  
punitate alit hoc malum. Ac quidem Qu. Mu-  
cius Iurisconsultus magno animo contempſit cō-  
uicia Lucilii poētæ petulantis, & eius ignouit ma-  
ledictis. Sed cū aliis, veluti iustus vindex, Luciliū  
in scæna nominando vicissim læſisset, Iudicio in-  
iuriarum absolutus & Iure fecisse iudicatus est.  
P. verò Scæuola noster, Mimum, qui L. Accium,  
scriptorem tali iniuria indignum in scæna nomi-  
nauerat, condemnauit. Sed vbi Leges sunt, quid

opus exemplis est? Si quis existimet, eas me tam valde vrgere, quia intersit mea: non diffitebor ea me quoque fortasse ratione cōmoueri. Sed simul profitebor, antequam huius generis iniuriam vllam perpessus essem (quanquam qui abs ipsa propè pueritia sic vexatus est, vix meminerit temporis, quo nondum talem vexationem senserat) tamen me & calumniatorum fraudes exhorruisse, & aliorum, quibus illi molesti erant, misertum esse. Vbi verò & ipse talium viperarum, quæ me lancinabant, aculeos sensi, equidem iusto dolore incēsus, cœpi magis atque magis laudare bonas leges aduersus hoc serpentum genus latas. Nōdum me patiar inflammari vlliū vltionis cupiditate, neq; patientiam sæpius læsam, furorem fieri patiar. Sed crudelem ait esse Cicero, qui famam negligit suā. Rectè ille sanè in suis de Repub. libris, Si (inquit) aut ingratī vniuersi, aut inuidi, aut inimici potentes suis virtutem præmiis spoliant, nē illa se tamen multis solatiis oblectat, maximēq; suo decore se ipsam sustentat. Interea tamen non potest non ea dolere vehementer, talem tantamque esse hominum, vel ingratorum, vel inuidorum, vel inimicorum vim atque potentiam aduersus id, quod iustum est. Multis in hoc genere querelis meis non ero cuiquam molestus. Sed omnes dissimulare neque possum neque debeo. Nuper incidi in quafdam ad Principem quendam in Germaniam vsq; missas

missas sine vlla auctoris subscriptione literas, quibus dira quædam mendaciorum portenta aduersus me & alios multò meliores viros, imò verò & quosdam optimos Reges ( quid enim non audet hæc malitia? ) inscripta erant. An non iure feci cùm dixi tales literas esse plus quàm sicarias, & vt scriptor indicaretur, sicuti æquū fuit, rogaui? Nam & delatorem reus fugientem Iudicio persequi, & latitantem vltrò ad causæ contestationem prouocare cupiebam. Sed audiui eum esse ἀντονεράνητον. Nam in sua quoque cæca latebra trepidātem, literis illis suis ascripsisse hanc malæ suæ conscientiæ notam: παῦτα ἀναγνώσουσιν λάνθανε, καὶ μὴ δημοσίευε. Tū verò adieci, nimis cautum esse nebulonē, qui cùm scelerata sua mendacia spargi latè vellet: tamen ad eum, cuius intererat, & qui ea statim refutare posset, manare nollet. Sed vt bonorum & credulorum Principum me miseret, quibus illuditur: sic fateor non rectè facere, si qui tale latronū genus recipieren, celarent, tegerent. An vlla religionis vlliū simulatio esse potest, in qua tanquā in spelunca delitescere possit ac debeat tam scelerata factio talium impostorum? Vix horum insidias effugera: & ecce me in Galliam reuersum, mox alia multò atrocior iniuria excipit, ab iisdem artificibus subornata: sed ab alio, quem impulerunt, impacta. Itáne verò ô Deus posteaquam ij, qui me nominis tui causa hactenus vexarūt, quiescunt, alij, ad quos

quia putabam bonos, confugeram, iniquiori conditione molesti erunt? neque in hac vita vñquam, quandiu tibi seruiemus, respirabimus? Quem das finem, Rex magne, laborum? Evidem bona conscientia me sustento, ne deficiam. Sed quæ tādem horum religio est, quorum est insatiabilis crudelitas? Quām crudelis est ~~wdi xougenant~~, quam nondū erumna nostræ satiarūt? Quanta inuidia, quæ miseriis quoque nostris inuidet? Ergo in desertas terras fugiamus, si fortè horum immanitatem effugere possimus. Verūm quænam est iniuria, de qua queror? Superioribus mensibus cùm in intima essem Gallia, quidā in extremis Germaniæ finibus, qui de Gallia neque sciebat neq; cogitabat quicquam, scripsit & edidit libellum de officio pij & publicam tranquillitatem verè amātis viri, in hoc religionis dissidio. Qualecunque sit consilium, quod dat, et si mea non intersit, integro & sedato animo legatur. Vix euulgatum illud erat, & ecce alias quidā, qui certè tam in suo nomine supprimendo callidus fuit, quām in meo notando callidus: sed quisquis tandem sit, magnē (vt audio) magister auctoritatis, verūm maioris (vt video) intemperantiæ atque adeò impotentia Dictator, nō modo libellum illum terribiliter, edita aduersaria declamatione famosa, exagitat: sed & me eius libelli auctore esse fingit, malo profecto more, exemplo malo atque illiberali: & in umbram, quā somnians

*Ad collationem*

nians sibi finxit, cæco furore effundit suam (quod quidā dixit) terribilem bilē: inō (quod iniuriæ caput est) me ignorāte talia fulmina eius emissarij ad maximos in ea aula viros, in qua nouus hospes erā, clā miserūt, vt indicta causa opprimar. Itāne verò fieri potest, vt homines nō modō Christiani, sed & olim socij & antiqua & familiari consuetudine & multorū officiorū vicissitudine cōiuncti, tam non iam dico omnis pietatis, sed & humanitatis obliti sint? Scio incredibile videri, quod dico: vīxque ipse id in re præsenti credere poterā. Sed ita est tamen. Age respondendū est editæ accusationi. Ego verò reus obtestor omnes bonos, bonos (iterū dico) obtestor, vt seueri in hac causa iudices aliquādo esse audeant. Tantum abest, vt aliqua vtar deprecatione. Quæstio duplex est, facti vna, altera Iuris. Quæritur enim, cuius sit ille libellus de quo agitur: deinde qualis sit, & quid peccauerit, aut mereatur. Hæc posterior nihil ad me, quia meum nihil est in eo libello. Quanquam de ea prius iudicandum sit: sicuti Lex ait liquere debere, crimen vel delictum esse commissum, priusquam de persona quæratur. l. i. §. item illud. Ad s c. Silan. Sed neque Quæsitor sum, neq; de aliena sentētia nunc quicquam præiudicare volo. Prius alios audiam de re ipsa iudicantes, quorum quidem sana ac sedata mens est. Meam de re tanta sententiam, vbi rogatus fuero, dicere non recusabo, de qua diu, mul-

tumque cogitaui, multis iam annis in ea delibera-  
tione iactatus: & quia Magister me Iurisconsultum  
esse dicit, confiteor me non diuini minus quam hu-  
mani Iuris studiosum esse, semperque fuisse. Sed  
quam mihi defert Censuram, tam non accipio,  
quam morosi Magistri dignitati lubenter relin-  
quo, qui nullum fert collegam. Sanè si illi, qui me  
~~admonet~~ vocat, per suam ~~admodum~~ liceret esse ~~conveniens~~,  
cum eo, discendi causa, communicarem quæ de  
Christianæ Iuris prudentia, & veteris Ecclesiæ me-  
moria notaui: magis etiam ut videret, an accede-  
ret ad libellum, quem iugulat. Sed nulla, ut video,  
datur audiētia. Quid eo inuito me adiungam iis,  
qui de sentētia libelli cōtrouersi imprimis sunt iu-  
dicaturi, magis ut liqueat iusta sit, an iniusta dicta-  
toris nō iam dico Censura, sed iracundia? Fateor id  
meæ Iurisdictionis nō esse: & fortasse aliquis dice-  
ret: nescire nos, quaeū parte pulcher calce' vrgeat.  
Cæterū multò minus præstare, aut possum, aut de-  
beo, si quis aut (quod nolle) eū indignè pupugerit,  
aut (quod dolerem) imprudens causam lēserit bo-  
nam. Hoc an faciat reus libellus, alij estimabūt au-  
dita parte vtraque & causa cognita, qui & religio-  
se (nam magna res est) iudicabunt de reipsa, &  
diligenter expendent ~~admodum~~, & ab interpretatio-  
ne malitiosam calumniam abesse iubebunt. Equi-  
dem abs clarissimis viris, qui diligentius, quam  
ego, libellum illum legerunt, audio, statum quæ-  
stionis

stionis in eo potissimum esse, an quæ impia & noxia non sunt, retinenda sint in Ecclesia, pacis tuendæ & vnitatis retinendæ causa. Ego amplio. Sed si quis hoc fortè dicat sibi videri: an impietatis crimen inexpiable cōmittit? an diris omnibus statim deuouendus est? Quanto æquiores fuere, qui nuper in synodo auditæ Ministri sunt? Quia mea res non agitur, hanc curam ei relinquo, cuius magis interest. Sed Deus bone, ecquò libertas nostra recidit, & in quam seruitutem detrudimur, si nobis loqui non licet nisi ex arbitrio & formula vnius alicuius noui Doctoris? si perijmus? si quid fortè nobis exciderit, quòd illi non placeat? si non modò causa, sed & vita cadimus, si aliquando ab eius nutu non pendeamus? Verùm id alij viderint, qui suscipient huius causæ cognitionem, ingenuoque & integro iudicio sunt: quos etiam suspicor quæsituros esse, quid tandem causæ sit, cur is, qui tam securè contemnit alioqui spicula in se directa, hic trepidet & tumultuetur, perinde atq; si Hannibal esset ad portam: & cur eum, quem mediatorem & pacificatorem vocat, tam capitalem hostem esse putet. Saltem ignotum hunc veluti Fetialem rursus audiendum esse decernent. Quæstio nunc altera est, an libellus, qui tam miserè interea vapulat, sit meus. Si id vno verbo negauero: quod verè & liquidò facere possum: actum est de accusatore, qui nō probat. Si vltro præterea probauero, alte-

rius esse, atque etiam ostendero cuius sit: manifestior erit iniuria, quam mihi contumeliosus calumniator facit. Atqui vel me tacente, hoc totum iam satis notum est, & res loquitur ipsa. Si qua conjectura probabilis, si qua vel tenuis suspicio hominem credulum calidumque fefellisset, fortasse errori venia danda esset. Sed in facto tam manifesto quis errori locus esse potest? Fortasse recudetur libellus cum auctoris nomine. Etiam si taceam & ignotus sim, tamen cuius furoris esse dicetur quicquid in me transuerso turbine contorquet fulminatrix responso? Mirabuntur multi, sicuti & ipse miror multò magis, quod in tanta turba quaerens in quem incurreret, me potissimum delegerit: & (quod ridiculum est) ne videatur cum uno ex multis congregati, fingit me in hac Repub. quēdam esse veluti legillatorem, atque (ut vocat) Censorem. Si ambitiosus essem, nunc demum putarem me esse aliquid. Sed valeant inepti. Iubeo illum esse securum, si non aliud quām me habet vel riualē, vel competitorem Sacerdotij maximi. Nam neque in ista tāta tamque depressa humilitate conditionis nostrae quicquam inesse potest altitudinis, quā illius luminibus aliquando officere possit. Neque, studia mea quām ab illius gradu & folio sint aliena, obscurum est. Ergo iterum miror, ecque delatio, ecque ἀγρεβολὴ tam vafra fuerit, quā Theologo tam acuto, & mihi olim familiari, imponere atque

que illudere potuit, vt & me nosse desierit, & quod omnes sciunt, nescierit, & quod neque est, neque esse potest, sibi statim persuaserit, vt ea opinione tanquam æstro percitus in amicum bene illi precantem, cornibus incurriteret? Non dicam, quod quidam respondit, Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes. Sed si Orestes, qui aliqua causa incitatus, matrem occidit, tam tristes pœnas dedit: quid sequius Magister (se enim præceptorem fuisse meum significat) qui & nomine alieno, & insontē (quod nunc saltem sciet) & in auditum (quod negare non potest) & veterem (vt ait) discipulum, & (vt fatetur) propè filium, non equis, vt infelix pater Hippolytum, sed suo stylo discerpserit? Nam ne eius quidé barbæ, non fronti, non ori, non naribus percit. Quid? An eum olim in sinu suo fouit, vt postea securum & dormientē confoderet aut configeret? Tantæne animis cælestibus iræ? Dicerem, vbi ad se rediens cognouerit, quod fecit, non minus doloris eum percepturum esse, quam Constantinus percepit, cum filiolum suum Crispum falsa opinione extinxisset. Sed quandiu illos, qui eum improba delatione ad hoc propè dixi parricidiū, impulerunt, alit, an facti pœnitent? Age verò iterum quæro, quid eum inflammauit? Crederem Zelum, vt vocant, aliquem esse vehementem, præfertim cum hominis ardētem naturam nouerim. Sed qualis Zelus est, rabies dentibus laniās homi-

nem abs facto, de cuius vltione agitur, tam alienū, quām procul distat cœlum à terra? deinde an satis est obtendere Zeli titulum, vt quiduis in quemuis liceat? Scimus quales olim fuerint, qui Zelotæ dicebantur in vrbe Hierosolymitana abs Romanis obsessa. Scimus quale aliquando fuerit apud Iudæos extraordinarium (vt appellabatur) Zeli Iudicium, quo ad obuium aliquem lapidādum furens multitudo ferebatur. Sed tantò magis huic feruori frenum abs legibus iniici debere credimus. Verùm prætexat quod volet de suo Zelo noster antistes: quid hoc ad me? An quia fortè audiuit me abs factionibus esse alienum (quod fateor) & ab eoru intemperie vehementer abhorrente, qui tumultuādo augent dissidia religionis, & oderūt omnes piæ & placidæ conciliationis siue rationes, siue conditio-nes? an propterea tantas contra me turbas cie-re debet, cùm de eo non modò non sim locutus, sed ne cogitarim quidem? an quia audiuit (quod non inficiar) me lugere hanc Ecclesiæ dissipatio-nem, & licet priuatim non intersit mea, animum meum tamē angi pio desiderio pacis Christianæ? an propterea libellus alienus, qui à quibusdam, οὐ μὴ βέβαιος esse dicitur, cum tanta cōgerie anathematum ascribendus mihi fuit? Atqui si vel vnum in eo verbum meum esse dicam, impudentissimè mentiar: & si illud ab aliis dici patiar, auctor non patietur: quem quidem etiam proditum existi-

mo

mo statim atque se per latus meum peti & confodi sentiet, & quidem, quod ille apud Poëtam Ni-  
sus facit, exclamaturum,

*Meme, adsum, qui feci: in me conuertite ferrum  
O Rutuli.—*

Interea si tam valde, cum quo illi res sit, & vbi  
is sit, scire, saltem serò, velit, Vbios inuisat. Ac si te-  
net Macedonicam historiam, notum in ea & no-  
bile nomen sciet: vel si Corebum furentem magis  
amat, quærat, quām ille amauerit sapientē. Si que-  
rit, quia quiescere non potest, cum quo vel pugnet  
vel litiget, tandem illum inueniet, legētque virum  
vir: nisi si & hunc iam quidam, insontem, quia bel-  
la vetabat, demisere neci, vel cassum lumine lugēt.  
Iuuat enim eiusdem poëtæ verbis vti. Sed tu vide-  
ris eum malle, quē Ænobarbum appellas. Credo  
quòd suauiter somniares Domitiam tuam gentē,  
in qua fortasse gloriaris gentilem tuum, alterius li-  
cet familiæ, Cn. Domitiū tulisse Legem de sacer-  
dotiis: eius verò patrem de Allobrogibus supera-  
tis triumphasse, & elephanto per prouinciam in-  
uectum esse.

Dices me nugari. Ita est sanè. Quid enim aliud  
faciam, vt te iratum demulceam & oblectem? Vis  
agam seriò? Ego verò te, quisquis es, here, amicè  
monebo, vt cùm híc, velis nolis, sentias & videoas  
te tam cæca vertigine ferri, vt hostem somnians,  
amicum ferias, des operā valetudini, & Medicos

audias. Cùm aliquando Bucerus, quem laudare magistrum soles, te reprehéderet, quòd de hominibus iudicares, prout amares, vel odiſſes : amares autem, & odiſſes, prout liber : tam acerbam reprehensionem æquo animo tulisti, & amico monitori gratias egisti. Ita testor, ita affirmo, non minus amicos esse, qui dolét, sæpe te virum tantum, vel amore nescio quo, vel odio, vel dira aliqua cupiditate agi transuersum, & multa intemperanter age-re pro libidine. Ergo iterum dico, quod ille, si viueret, diceret : necesse est, refrenes affectus, qui iudicij luminibus officiunt : cohibeas naturam iracundam atque biliosam, commune malum ingentisorum hominum: ne te gloria & ambitione inflari sinas : caueas, ne aliquo rerum successu nimium efferaris, ne qua virum grauem leuitas, ne qua sapientem crudelitas (quæ maximorum ingeniiorū maxima vitia sunt) ne popularis aura ad aliquam religione indignam actionē abducat : ne eam iam senex inuras notā nomini tuo, quod non magis, quām nostrum nobis, si per te liceat, tibi honestissimum relinqu optamus. Saltem ut tuearis personam, quam induisti: turpe & tua professione indignum esse existimes, palam mentiri : cùmque in hac causa etiam inuitus sentias te mirificè offendisse, discas te esse hominem, neque deinceps credas omnibus, qui cùm te adorare videntur, dant præcipitem. Vanitatis, futilitatis, calumniæ, maleficentie.

Iedientiæ magna est turpitudo: magnum est odium saevitiae aduersus infantes inflammatae: magna inuidia Dictaturæ bonos ciues proscriptentis: & intolerabilis in Ecclesia res est, tyrannis, licet obtendat aliquam religionis speciem. Ne multa. Partitur nunc tibi, vir optime. Sed, mihi crede, si pergas, aliquis occurret, quem nolles: ac si eum etiam cogas uti recriminatione, dolebit. Ergo si te contineas, feceris sapienter. Nam & alij quid religio sit, sciunt. Erras vero iterumque erras, si in eo iam te solio collocatum putas, ut tibi quod libet, liceat: ut omnibus insultes, silentium omnibus indicas, solus regnes, imperes, fulmines. Errat quicunque putat se vel Galliæ confixisse oculos, nihil ut illa videat aut discernat: vel cum effossis oculis cerebrum eripuisse, ut nihil dijudicet: vel excelsum eius animum aliqua fraude fregisse, ut in indignam se det seruitutem. Imò vero omnium ordinum aliqui viri graues, cordati, sapientes supersunt, qui cum veræ religionis vero studio retinent suum illud (ut rectè dictum olim est) incoctum generoso pectus honesto: qui longius prospiciunt, quid agatur, quid simuletur: qui Ecclesiam cum Repub. saluam esse volunt: & utrumque me etiam velle (audabo dicere) non minus profectò quam te, sciunt. Dicerem te quoque id scire. Sed nunc quoniam id iratus negas, alios, qui quod sciunt, non negabūt, prouoco: qui quidē tibi, nescio an religionis sciē-

tia, certè cōscientia bona nō cedent: addam & veri  
tatis & pacis studio bono. Quid si dicā, maiori rerū  
bene cōponendarum, & trāquillitatis constituen-  
dæ desiderio? Hos interea cōfido, Iuris fortes & cō-  
stantes vindices fore aduersus iniurias: defensores  
iustæ libertatis aduersus ferociā nouæ tyrannidis:  
patronos innocētiæ aduersus vim & insidias. Neq;  
verò sunt oblii cuiusdā politicæ & Ciceronianæ  
theseos, quā Typographus Dictatoris castigatam  
edidit: Βλαβητέον πᾶν καταλύει τὴν τυραννίδα μὴ αὐτὸς ἀρεθῆ.  
Tantū abest, vt omnes ad degenerē seruitutē abie-  
cti sint, aut sint omnes ceci & fatui, quos tanquam  
pecudes naribus tractas, dux aliquis imperiosus so-  
lo sibilo circūagat, vt statim atq; is increpuit, om-  
nes subsultent. Atq; vt terribilis magister sciat, etiā  
miseros pupillos, quos bona conscientia sustentat,  
stare impauidos, vel si flamas ore vomat: & ma-  
gno suo, qui in cœlis est, tutore fretos assurgere su-  
pra omnia omnium laruarum, omnium dirarum  
terricolamēta: sciat nobis in mentē venire, quod  
melior nos præceptor docuit, & verè credere, bea-  
tos eos esse, quibus maledicunt homines métiens-  
tes, quicunque tandem sint, quorum mendax fue-  
rit maledictum: neq; tā aut angusti, aut abiecti, aut  
nullius animi sumus, quin tali vindice veritatis au-  
ctore audeamus nos sistere in iudicio, si ventosus  
accusator ex sua Æolia prodire in Ius velit. Facti  
inter nos, non Iuris quæstio est. An nullū(vtar eius  
verbo)

verbo) consistorium dignum esse putat, in quo se  
sistat? An est supra omne Presbyterium, omnem  
Senatum, omne siue Consilium siue Concilium?  
An & omnes ministros tam valde contemnit, ut  
nulli ex iis ullam vlla conditione tribuat iudican-  
di potestatem? Evidem quoscunque volet, iudi-  
ces, accipio, futuros (inquam) iudices iniuriæ, de  
qua queror. Nam tam de ea liquere arbitror, ut ne  
Allobroges quidem, vel editios recusauero. Ac  
si accusare præterea velit, consistam. Scio Tribu-  
num p. olim ad accusandum vix admissum esse,  
quod (ut ait Cicero) eo accusante, cōditione æqua  
disceptari posse non putarent Romani, & statuer-  
ent, iniqua conditione reum causam dicere, cum  
aduersario eius, ad Ius accusationis summa vis po-  
testatis accederet. Ego tamen hac præscriptione  
non utar. Spero enim nōdum sublatas esse omnes  
publicorum iudiciorū leges & conditiones. Spero  
quosdam superesse in Iudicijs viros, quibus place-  
at illud eiusdem Ciceronis: Semper (inquit) in hac  
ciuitate nimis magnis accusatorum opibus & Po-  
pulus vniuersus, & sapientes, & multum in poste-  
rum prospicientes iudices restiterunt. Nolo accu-  
sator in Iudicium potentia adferat, non vim ma-  
iore aliquam, nō auctoritatem excellentem, nō  
nimiam gratiam. Valeant haec omnia ad salutem  
innocentium, ad opem impotentum, ad auxilium  
calamitosorum. In periculo vero & pernicie ciuiū

repudientur. Nā si quis hoc forte dicat, Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa iudicasset: iniquam legem & miserā conditionem instituet periculis hominum, si existimat iudicium accusatoris in reum pro aliquo praejudicio valere oportere. Hæc ille. Quæ etiamnum dici posse & debere nemo tam iniquus est, qui negat. Si is, cum quo mihi nunc res est, Iudicij lucem fugiat, & in umbra libellos famosos dictare tutiū esse putet: ipse vltro occuram. Nam neque existimo tam eum, qui melancinat & cruentat, legibus omnibus solutum esse, quin, petita saltē venia, abs me in Ius vocari possit. Si quis aduersus parentem aut patronum, aut præceptorem non posse institui famosam actionem, sed tantū agi in factū posse, dicat, cōcedo. Atque utinam integrum mihi esset planè nunc cedere. Sed res non patitur, ut omnino obmutescam. Scio olim Romæ Pontificem Max. fuisse (quod Halicarnassæus ait) *αντιθέτων*. Sed notis Censorijs, non etiam publicis Iudicijs exceptus erat. Memini, quod ait Cicero, P. Galbam primum post Vrbem conditā fuisse reum publico Iudicio, qui in collegio Sacerdotum esset. Verū tali præscriptione noster (credo) nō vtetur. quanquam qui Neronis atavum nescio quem nobis obiicit, velim meminerit de ipso quoque Nerone iudicasse Senatum. Scio, quod Plutarchus de Iulio Cæsare famosum suum Anticatonem scribente narrat:

χ' οὗτοι φει μόνον δηλα καὶ τῷ γραφέῳ τὸ ἀνυπένθυμον καὶ ἀνωδημονικόν ἀπίστον. Insignis est ille profecto locus & vulgo mendoſus. Sed quis tale exemplum probauerit? An tantum ſibi arrogat Dictator? an ſi arroget, concedetur tantum? Porro ubi in Ius ventum erit, Iudicibus nō alias quam ex ipſius aduersarij tabulis & cōmentarijs repetitas offeram leges de calumnia, de mendacio, de maledicentia, de iniuria. Quae potest æquior eſſe conditio? Non enim quisquam, credo, dicet, eum nō ſibi, ſed alijs ſcribere, aut ſuis præceptis parere nō debere. Etiamſi Ius nouum & iniustum in alium ſtaruifet, tamen ipſe in ſua cauſa eodem Iure vti deberet. Nunc cum ſit Ius diuinum & humanum, quod vrgemus, an id recuſare poterit? Quoties ille declamitauit, intolerabilem eſſe iniuriam, cum falſum crimen obiicitur? cum reus non auditur? cum calumniator non punitur? An nō licebit nunc nobis, bona eius gratia, vti caudem querela?

Si nihil eſt difficultatis in hac parte Iuris, nulla quoque nunc erit in quæſtione facti. Nō enim, credo, negabit illud, quod iam euulgauit: & vt mihi in Iudicio valde laborandum nō eſt, vt oſtendam falſum eſſe, quicquid de alieno libello, quem flagellat, mihi impingit: ſic existimo neminem dubitaturum eſſe, quin eadem fide aut maiori etiam vanitate effutiat quæcunque ſimulaspergit conuictia & accumulat famosus cōuiciator. Nam & tam

putidas fabulas ex triuio arripit, quas æstate su-  
priori in suo æstu commenta erat fremens inuidia,  
sed quas me quoque tacente tanquam nebulas, ip-  
sa iam dies disculit, vt me potius misereat homi-  
nis tales sordes colligentis, quibus suum profectò  
nomen magis quam meum commaculat. Interea  
videris, quæ notes, in cuius clientela me esse odio-  
sè fabularis. Ego cùm & veteres & nouos in Gal-  
lia multos possim patronos laudare, viros clarissi-  
mos atque amplissimos, tum verò vnum imprimis  
agnosco, ad quem me Deus, cùm primùm huc re-  
dij, applicuit, optimum dico & nobilissimum Re-  
gem illum, apud cuius antea socrum, Reginam le-  
tissimam atque sanctissimam, (cuius alias de te  
iudicium tibi opponam) honestissimo me loco  
fuisse, olim etiam doluisti. Huius ego Regis, me in  
suam fidem recipientis, & magis atque magis si-  
bi me astringētis, de mea fide iudicium, quod nul-  
la calunia labefactare potuit, quæ tamen nihil  
non tentauit: ac (rumptatur illa licet) iterum nouo  
nunc & liberali pignore testatum atque confirmata  
tati Principis (iterum dicam) iudicium, si hoc  
tempore opponam malignis & sinistris omnium  
improborum inimicorum susurris, an non fecero  
rectè? Nolo tamē mihi quicquam proposit, nisi si ab  
his iniuriā mihi fieri liqueat. Et quia meus Curio-  
sus etiam de Germania somnians nescio quid suæ  
anæpsæ ascribit: cogor gloriose testari atque profi-  
teri,

teri, me illic tam præclara studiorum meorum & optimæ erga Rempubic. voluntatis monumenta reliquisse, ut non possit ad uersarius Quæsitor melius de mea laude mereri, quam si in ea inquire iubeat. Oportet verò istum Irenarcham habere mirabiles nuntiatores siue ἀγγελιαφόρος, qui tam putida & falsa ad eum notoria vndique referunt: & ipsum mirificè facilem atque credulum esse, ubi ad maledicendum incitatur. Sed vos, vos, qui illum miris flabellis incitatis, delatores, coercendi estis. Vos virum vehementem inflammati: vos harum turbarum autores estis. Saltem tu, qui nunc illi nimis obsequens librarius fuisti, qui mecum à pueris es educatus, qui utriusq; fortunæ socius, tot laborum propter bonam causam particeps, mihi tot necessitudinis vinculis sanctissimis coiunctus ante eras, & totius in hac causa veritatis cōscius, herum monere & reprimere debueras, potius quam huius esse iniuriæ administer contra tuam cōscienciam. Saltem, licet nunc Iurisconsultus esse desieris, meminisse debueras Legis Theodosianæ, quā Ambrosius expressit abs Principe δέχεσθαι, ne statim paratur mandato crudeli. l. si vindicari. c. de pœn. Tu mihi condiscipulus tot annis in eadem pietatis schola fuisti. Et audes Lucianicæ disciplinæ conuicio tuos typos commaculare? En quò ruit semel incitata maledicentia! Posteaquam suæ petulantiae pharetram exhausit (pharetram dico vene-

natis spiculis refertam , quæ minimè decebat se-  
nem Theologum, quotidie de regeneratione, de  
mortificatione, de māsuetudine, de lenitate Chri-  
stiana concionantē) tādem, vt aliquod magis atq;  
magis dirum telū euibret, descēdit ( ô intolerabilē  
contumeliā) ad nescio quē siue Lucanium siue Lu-  
cianum, nimis illi profectō notum & familiare no-  
men. Hīc ego vix me reproto. Sed tu ô Deus Iu-  
dex & vindicta esto. Quid reliquam maledictorum  
illius importunitatem verbis refutarem, quam res  
ipsa refellit? Quid? Ipsius ipsius conscientiam ap-  
pello. Scit, me, iam annis propè viginti, caruisse &  
patria, & patrimonio, & honoribus, & omnibus,  
quas domi habuissem, commoditatibus, ne id fa-  
cerem, quod facere me velle singit. Scit me in eo  
propterea statu esse, in quo non essem alioqui:  
vt iam nihil illi aliud respondeam, quām quod So-  
crates improbis suis calumniatoribus Anyto &  
Melito respondit: qui eos refutaturus, suam pau-  
pertatem allegavit, testem suæ innocentiaæ atque  
integritatis. Scit, quam etiamnum puer Christia-  
nam religionem amplecti cœpi, semper eam me  
castè & piè, vt in hac infirmitate potui, colui-  
se: & omnem à primis annis meam vitam, mores,  
studia, literas, actiones, id testari. Atque vt id alij  
sciant: age, patiatur me audiri, & publicè ( si opus  
sit) rationem vitæ meæ reddere. Ego, quos dabit ar-  
bitros vel cognitores, accipiam, nō aliqua (ne hoc  
iterū

iterum calumnietur) confidentis animi elatione: sed bona ingenuitatis conscientia fretus. Nam etsi sciam, quid olim iudicatum sit de hac sponsione,  
N I V I R B O N V S S I E T : tamen bona voluntatis, cum naturae depravatione luctans etis sponsonem fecero. Atque ut huius in posterum animi, in diuini auxilij spem recumbentis, confirmationem nouam audiat: dico, faciat, licet, & tentet omnia, omnemque vim adhibeat, ut tandem me cogat vel alio respicere, vel ab eo, quod rectum est, deficere aut deflectere: nihil tamen agit, nihil, credo, efficiet: non infringet, non immunitabit animum meum, quem nullae hactenus tentationes omnino frangere potuerunt. Et nihil licet vñquam mihi magis præter expectationem, nihil in hac vita, in qua pertuli acerbissima multa, acerbius quicquā acciderit, quam quod nunc accidit, tamen vel hinc, quod non fatiscam, discat quo animo sim. Exclamat, me esse pectore chalybeo. Fortè si Æschylum legisset, exclamasset, ἀπερθέω. Sed profectò sic nos nunc contundit, ut valde necesse sit me non esse vitreum. Ad lachrymas tamen propè me adigit, cum ἀπογλω inculcat. Nescio, an quid οὐ sit sciat nondum pater. Sed me profectò valdè scire, quanta eius vis sit, filiola saltem mea testabitur. Et tamen quam valde omnibus naturae affectibus alioqui bonis, nō sine magna distractionis molestia, prætulerim causam al-

terius pietatis, tam non ignorat, & testatò s̄epe cōfessus est, q̄ id nūc negat maliciose. Sed quia tantū cōqueritur de huius anni actionib⁹: age, ne longiū abeā, ipsum ipsum cito consiliū, quod rogatus aestate superiori piis proceribus consignatum dedi, & in iudicium venire volo, si tibi omnes omnium suarum actionum reddere rationem debet. Fateor, cùm de coercitione hæreticorū ageretur, Leges & Iudicia veterum Christianorum me prætulisse nouis tuis & capitalibus decretis. Si hoc nūc te vrit, cur aliam obtendis iracundiæ causam? Da vel fac mihi aliquid ocij: etsi tecum inuitus committar, tamen non recuso Leges illas edere, vt iis potius quām mihi irascaris. Fateor, in formulis & ceremoniis Ecclesiasticis mihi videri, habendam aliquam esse rationem religiosæ antiquitatis, vbi per diuinam Legem licet. Fateor me in ordine cōstituendo iuuenilem odiſſe intemperiem, quę cœlum terræ miscere velle videtur, & superbè proculcat, vel contumeliosè fastidit omnem Ecclesiæ veteris memoriam. Sed si vir bonus es, necesse est prædices propterea me tantò magis esse religiosum. Si id malè te habet, ingenuè dico. Cur singis alium causæ statum, de quo non agitur? Etsi hoc artis callidæ sit, tamen nihil agis. Nam fraus manifesta est. Tu mihi magno supercilio tuam doctrinam ostentas. Atqui de ea non quæritur: neque tamen nescimus vnde eam hauseris. Tu litigas

gas de iis, de quibus inter nos lis nulla nunc est. De iniuria, de qua queror, dicio: quam certè doctrina nulla texerit. Et qua tandem vel cōscientia coram Deo, vel fronte coram hominibus, vbi scis nullam esse controversiam, odiosè vis & audes aliis persuadere, esse maximam: eam verò, quæ est, astutè dissimulas ô bone! Si hæc maliciofa calumnia non est: quid malitia, quid calumnia sit, nescio. Ad me quod attinet, quia nullo modo potes negare, quod est turpissimum confiteri, errasse te, cùm calatum, tanquam hastam, iratus corripiisti: nihil dicere aliud potes, quām codem errore te, falsum pro vero arripuisse. Sed alij æstiment, qualis hic error sit, & iudicent, an non sit hominis (vt tuo verbo vtar) abrepticij. Si qui mirari se dicant, talem virum huc esse delapsum: eius est causam veram dicere, quæ eum tam indignè commouerit: ego quam scio, eius honoris causa nunc nō dicā. Immane est, sine vlla probabili causa, sine erroris vlla iusta excusatione, tantum odij animo concepisse atq; ore euomuisse, vbi tantum amoris antea esse videbatur. Neque solūm est hoc triste miraculum (quod Augustinus ad Hieronymum scripsit) sed magis atque magis prodigium esse furorem agnoscent, qui rē recta reputabunt via. Sed bonos omnes obtestabor, vt religiosè mecum hīc cōsiderent, quod verum & utile est. Patitur Deus magnos sæpe viros turpissimè labi, vt

quos multis ingenij aut doctrinæ donis instruxit, homines tamē esse sciamus, quos alioqui Angelos fortasse aliquos insana superstitione esse fingemus. Verūm cùm eorū delicta fugiemus, ne propterea simul abiiciamus, quæ alioqui ab iis rectè & integrè tradita sunt: neque propter vitia, virtutes quoque oderimus: denique aliud esse hominem, aliud religionem meminerimus (esse enim res diuersas) & cùm pietatis perpetuæ causam, quæ Christum auctorem habet, non homines, cōstanter tuebimur: hominū (vt mollissimè loquar) vanitatem agnoscamus atque deploremus. Huius vanitatis exemplū & singulare & illustre, cuius ad omnē posteritatē tristis & sempiterna fortasse memoria extabit, proposuit nunc Deus. Sed vt eo infirmitatis humanæ exéplo admoniti cristas demitemus, sic & nos misereat communis miseriæ atque cœcitatis. Ergo etsi non recusem, æquos Iudices, audita vtraque parte, & causa cognita, pronūciare, quid libelli & famosi, & atrocis, & falsi, & nō subscripti, & in vulgus sparsi, auctor mereatur: neque tam sim ignauus, quin pati possim, vt quam quis mihi labem aspergere indignè voluit, eam lābendo atque resorbendo detergat: tamen aliam pœnam non deposco: & conuicatoris (vt Lex ait) inconsulto calori veniam dari, nullāmque vel minimam infamiæ notam illi rependi peto: atque vt magnis aliis in rebus salua eius auctoritas sit, vbi ea non

ca non abutetur, etiam postulo: quanquam vt non  
abutatur, reprimendam huius hominis ferociam  
esse oculati homines sentiat, qui quo alioqui sub-  
tiliter illa erupat, prospiciunt. Sed (quod sine Reip.  
fraude fiat) quod ad me attinet, cōfitenti & pœni-  
tēti cupio simul remitti Legē publicæ ἐξομελογίσας,  
quam seueritas Ecclesiasticæ disciplinæ nunc illi  
præscriberet. Denique Deum Opt. Max. precor,  
non modò huic vt peccato ignoscat, sed etiam e-  
gregium virum cōtineat, ne deinceps tale aliquid  
admittat, ne cæcis affectibus nimium indulgeat:  
vt me missum faciat, qui illi omnia remitto: ne stu-  
dia mea meliora perturbet, quæ illius consiliis nō  
obstant. Satis hostium habet, cum quibus cōgre-  
diatur & se exerceat: & ego satis aliunde habeo  
molestiarum, quæ me vexent. Ne me studiosum  
pacis, & ad nullam rem minus, quam ad hæc bella  
natū, cogat inuitum ad ista, quæ fugio, miserri-  
ma certamina: ex quibus, quicunque sit exitus, re-  
dire non possumus, nisi deteriores: quia in iis cha-  
ritas lēdatur, sine qua religionem didici, & sentio  
consistere non posse: neq; video si quis nunc con-  
temnat illam veteris poëtæ vocem, Ulterius ne tē-  
de odiis: qui effugere possit diuinum fulmen, ad-  
uersus eos editum, qui fratrem oderunt, & male-  
dictis veluti iugulant. Neque profecto minus e-  
rit sicarius stylus, quam ensis. Saltem nobis in mē-  
tem veniat, quod Hieronymus contra Rufinum,

Procul (inquit) sit à moribus Christianis, vt sine gladio, voluntate sint homicidæ: quódque ad Augustinum, Hæretici (ait) quos gladio nequeunt, voto interficiunt. Vtinam tam crudele votum aliorum non sit quàm hæreticorum. Sed si ingeniosæ calumniæ, & hominum suis odiis indulgétium diris cupiditatibus nullus occurrat, quid fiet? Iuuat nunc ex antiquitatis memoria repetere noble exemplum, in quo desinam, si in eo tacitè ostendero, quid hoc tempore cauendū sit. Arriani Chrysostomū, quem abs sua hæresi & factione alienum esse sentiebant, more suo crudeliter exagitarunt. Id in illis minimè insolens erat. Sed illud nimis indignum fuit, quod quidam bonarum alioqui partium antistites, iisque & doctissimi & præstantissimi, nempe Epiphanius & Theophilus Alexandrinus, eundem Chrysostomum non minus vexarunt, quasi ab Arriano dogmate nō abhorrentem: & interea, vt eum eiicerēt, cum ipsis etiam Arrianis propè conspirarunt. Cur ita? Quia eum priuatim oderant. Sed cur oderant? Quia inuidabant, vel suis eum luminibus officere putabant. Quid verò prætexebant? Eum lubenter legere libros Origenis: Origenem autem esse suspectum, cùm quidem Arriani iam se appellarent Origenistas. Enquò trāsuersos homines rapiunt mali affectus: qui etiam cùm nulla religione retineri possint, religionis studio incitari se simulat? Quid ve-


rò fiet, si tam subtilibus insidiis cæci iudices applaudant? Non desuit Theophilus, donec Chrysostomum, quo iure qua iniuria exterminarit, cùm tamen Hieronymum defenderet non dissimili calumnia iactatum. Quinimò cùm propter Originorum librorum lectionem Chrysostomum tam valde exagitasset, & vt eorum lectione omnibus interdiceretur, tantopere contendisset, ipse tā eos studiosè legebat, vt eo nomine sit accusatus. Accusatus autem respōdit, quod Chrysostomum respondere, nō patiebatur: se se flores legere in spinetis. Sic quod in alieno factō damnabat, laudabat in suo. Tantum abest, vt quod ius in alios statuerat, eodem ipse iure uti vellat. Sed iterum dico: tam iniustis hominum affectibus resistere Leges debent.


F I N I S.

1849861

OCN 1344293381







C. 11. **L**etius si sine machiaude eam fortunam  
accidat hostiis omnium non impedit. int. p. 1.

titus. Tali omnes adatu-  
tū. & e. p̄fus. de alis  
ex illa. t. c. p̄f. t. c. gau

卷之三

ps. i. de sing. laudib.  
o qui occidens qd. e. i.  
e misericordib. nā mudi.

卷之三

卷之三

卷之三

卷之二

卷之三

卷之三

卷之三

Åhendz. 3. 8. 1873.

卷之三

卷之三

100  
101

卷之三

adhére. Vé. ut i. p. tñ

三才圖會

卷之三

卷之三

• १५०

Wona machiam. vii

卷之三

३५०

卷之三

Schriftsteller

